

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1709

Auteur(s) : Roger, Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbé)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1192

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Sentence rendue par Roger, abbé du Bec et Jean de Coutances, doyen de Rouen, par laquelle les curés de Saint-Nicolas et de Saint-Léonard sont tenus de payer annuellement au prieuré 6 livres de rente outre les offrandes en cierges ou chandelles faites par les fidèles, en l'église Saint-Nicolas, le jour de la Purification.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LII, p. 46-47.

Texte établi d'après a

Universis Sancte Matris Ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit, R abbas Becci, et J. decanus Rothomagensis salutem. Ad universitatis vestre notitiam volumus pervenire causam que vertebatur inter. H priorem de Bellomonte et R de Capella, juniorem, super pensionibus ecclesiarum sanctorum videlicet Nicholai et Leonardi, auctoritate apostolica primo iudicibus fuisse delegatam, et tandem, litte nondum terminata, ad nostram audienciam per compromissionem partium fuisse delatam. Partibus igitur in nostra presencia constitutis, cum de rei veritate diligenter inquireremus, et memorati R de Capella, confessione in iure facta, manifeste cognovimus rectorem ecclesie Sancti Nicholai ex antiqua consuetudine priori de Bellomonte ad annuam sex librarum pensionem teneri, de quibus decem solidos in ministeria prioris solvere consueverat ; pro ecclesia vero sancti Leonardi ejusdem loci priori LX solidos deberi ; et preterea in festo Purificationis, et in die beati Nicholai, sicut jam dictus R confessus est, prior de Bellomonte, candelarum obventiones de ecclesia beati Nicholai percipere consuevit. Nos itaque, ex publica ipsius R confessione, de rei veritate plenius instructi, arbitrati sumus eundem R supradicto priori pretaxatas pensiones de cetero sine difficultate et contradictione solvere debere. Verum quia quod in causa vertebatur ex confessione prenominati R tam liberaliter quam sponte facta finem accepit ipsi R a dicto priore nostra fuit intercessione indultum, ne infra annum, a Pentecoste proximo post captionem Gisortii, ad supradictarum pensionum solutionem cogeretur ; quo tempore elapso, in voluntate prioris erit determinatas pensiones ab eodem R, vel ab alio quicumque ecclesias predictas obtinuerit, in integrum recipere, vel eisdem aliquid misericorditer remittere. Ipse vero R tactis sacrosanctis evangeliiis, in presentia nostra juravit, quod priori et domui de Bellomonte de cetero fidelis existet, et predicti anni spacium effluxerit, sepe dictas pensiones ex integro persolvat, nisi aliquid ex hiis misericorditer ei remittatur. Ne igitur quod sub nostro et prudentium virorum conspectu solempniter actum est futuris temporibus alicujus malignitate revocetur in dubium, tocius processum negocii presencium annotatione et sigillorum nostrorum testimonio roboramus.